

a Spiritu veritatis auditur et accipitur. Quam ob causam, non a duobus sed ab uno principio procedit Spiritus sanctus. Non enim duos loquentes audit duplici quadam auditione; sed una auditione atque acceptione et Patrem audit loquentem et Verbum accipit dictum.

Praeterea, superius conclusimus Spiritum veritatis veritatem audire et accipere. Sequitur ergo Patrem veritatem loqui et Verbum veritatem esse. Sicut ergo in tempore Pater verax (Io 3, ~~33~~ 33; 8, 26) et verus (Io 7, 28) in mundum misit Verbum veritatis plenum (Io 1, 14) imo ipsam veritatem (Io 14, 6) ut veritas sit facta (Io 1, 17), ita etiam ab aeterno verax et verus veritatem dicit quam audit et accipit Spiritus veritatis.

Quaeres tamen quamnam veritatem dicat Pater quamque accipiat veritatis Spiritus. Sed "Deus caritas est" (1 Io 4, 8.16); neque caritas esse potest ubi una quaedam et sola est persona. E contra, si intra ipsam divinam conscientiam et dicitur et auditur hoc ipsum quod "Deus caritas est," tres sunt personae eaeque consubstantiales. veritatis Spiritus. Sed illam veritatem sane dicit quam evidentem perspicit, "quoniam Deus lux est et tenebrae in eo non sunt ullae" (1 Io 1, 5); quatenus enim sunt tenebrae, eatenus mendax contra evidentiam mendacia loquitur, et ita diabolus in plenis constitutus tenebris